



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Hominis alioquin inermis & nudi, in animalia etiam naturalis potestas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Ion. 2. 11.

factum est protegentis; quemadmodum, Propheticus ille Arion. Ionas viuis, in ventre piscis, tribus diebus, & tribus noctibus sepultus, non modò è dentibus & faucibus, sed etiam è visceribus ceti euasit; quando dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam.

Psalm. 8. 8.

Nunquid hæc sunt manifesta diuinæ protectionis argumenta? Nunquid, etiam de homine, post Adami lapsum, ad Deum dici potest; *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues uniuersas, insuper & pecora campi: Volucres cali, & pisces maris, qui perambulantes semitas maris?* Sed vno opere, ac velut in compendio, luculentissimè demonstrauit Deus, quantam, etiam qui in Adamo peccauerant, posterius eius, calo iubente, obtineant in omne genus animalium possessionem, quando de animantibus mundis & immundis,

Gen. 7. 8.

& de volucribus, & ex omni, quod mouetur super terram, duo & duo ingressa sunt ad Noè in arcam, masculus & femina, sicut præcepit Dominus Noè. Quis maiorem vnquam in brutis, tam multis, tam diuersis, tam immanibus & efferatis, vidit, legit, audiuit obedientiam? Quantæ molis est sæpe, vnum lupum comescere? quanti laboris vnum aprum coercere? Tū Noè, velut in vnum stabulum, apros, lupos, leones, tigrides, vrsos & elephantos; & quidquid est inter animalia, vel dente, vel vngue, vel cornu, vel vngula mutandum, nullo resistente, conclusit.

V.

Iacob. 3. 7.

Sed hæc omnia peculiari Dei virtute, & prodigiosè contingunt, supraque vim hominis naturalem. D. Iacobus plus affirmans ait: *Omnis natura bestiarum, volucrium, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana. A natura humana, non diabolica, inquit; qua voce excipit miracula; excludit incantationes magicas, quibus virulenti innoxie contrectantur serpentes; & quæ, sine graui crimine, non adhibentur, vt Scriptura indicat, & D. Augustinus, qui vim venefici incantantis, non serpentis intelligentiæ, sed malo demoni ascribit, cui diuino consilio permiffum sit, vt, ad humanam vocem, moueat serpentes, cogatque è cauernis prorepere. Nam, quod vulgò putantur, ait: serpentes audire, & intelligere verba incantantium, vt, eis incantantibus, prostrant plerumq; de latebris, etiam illic diabolica vis operatur. Diuino autem consilio fit, vt hoc magis habeat usus, serpentes moueri carminibus potius, quam aliud vllum animal.* Quare à vero aberrat Plinius, cum ait:

Deut. 18. 11.
S. August. li.
11. de Genes.
ad lit. c. 27.
& in Psal. 57.
itemq; Del-
rio lib. 2. disq.
9. 13.

Not

Non pauci credunt, serpentes ipsas incantari, & hunc unum illis esse intellectum, contrahiq; Marforum cantu, etiam in nocturna quiete.

Qua arte Orcina, ut ait Attalus, apud eundem Plinium, scorpione viso, si quis dicat (*duo*) cohibentur ex bestia, nec vibrant jctus. De hac arte, tanquam illicita, non loquitur Apostolus. Fieri enim non posse censetur, quod licite fieri non potest. Vult igitur, virtute etiam naturæ, cuncta animantium genera subijci ac vinci posse. Quæ virtus ac potestas, non in corporis robusti viribus, sed in animi industria, & ingenij licitis artibus potissimum sita est. Si enim corpus consideres, homo nudus & inermis nascitur: cetera animalia, varijs tegumentis, loriceis, clypeis, testis, radijs, corijs, dyptichis muniuntur: varijs venenis, aculeis, rostris, fulmineis dentibus, ramosis cornibus, ferratis pedibus, velut telis ad offensam datis armanur. Neque sanè homo lyncem visu, vulturem olfactu, tactu araneam, auditu anserem, gustu apem; leonem robore, leporem celeritate, piscem mobilitate adæquat; quem etsi natando imitetur, nequit tamen auem sequi volando, nisi se in somno dædalum esse fingat, in quo ipso, non rarò Icarum agens de ruina exclamabit. Hæc etsi ita sint, tamen *omnis natura bestiarum, volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana*, non corporis, sed rationis, sed consilij, sed prudentiæ, sed artis, & experienciæ, quibus rebus homo omnibus ceteris animalibus antecellit, & superior existit, uti & manuum, vsu ac adjumento, ut obseruauit medicorum princeps Galenus, & peculiare caput de captura leonum in Belisarij Ducis Neritonorum libro docet. Manibus enim laqueos torquet, retia texit, hamos acuit, & omnis generis arma instrumentaque fabricat; quibus frænât equos, assequitur ceruos, fallit vulpinam astutiam, ligat leones, cancellat vrsos, dearmat apros, illecebris delinit elephantos; effumigat serpentes, dirumpit ventres draconum, & in eorum cerebris gemmas quærit: nihil est tam profundum in mari; nihil tam excelsum in aère; nihil tam abditum in siluis, nihil in montibus tam absconditum, quo hominis in animantes dominiû non penetret. Non fugiunt illum minutissimi, in aquis, pisces; nõ superant grandia phocærum corpora; ex imis & summis vndis prædam educit; auces ex ipso cælo vel detrahit pelliciendo; vel jacu-

Plin. lib. 18.
cap. 2.

Galen. lib. 9.
de vsu partium. cap. 2.

jaculandis sagittis deijcit. Denique nusquam est vllum animal, in quod ratione præditum animal non exerat potestatem. Quod multis, in *omni natura bestiarum, volucrum, & serpentum, & ceterorum*, exemplis potest illustrari: quæ quia omnia nimis sunt numerosa, nonnulla delibabo tantum; nec iam sciuros afferam, aut fimos, aut Issas & catellos, sed maiorum gentium feras animantes.

VI. De elephantis, quanta narrantur? quos *succo hordei*, educatione, beneficijs, quin & verborum blanditijs aiunt mansuecisse, immo & fame. *Inde ex captis elephantis*, teste Strabone, eos, qui nec iuventus, nec senectus inutiles facit, in stabula ducunt, & pedibus vicem vincit, & collo, ad columnam bene compactam, fame domant. Deinde herba, vel arundine viridi reficiunt. Dehinc obtemperare docent; alij oratione, alij cantu aliquo, vel tympani sonitu delinunt. Rari sunt, qui non facile mansuecant: Quidam aurigas suos, qui in certamine ceciderint, ex prælio eximunt. Quidam anterioribus pedibus utroque subjectos seruauerunt. Quod si quem ex curatoribus, per iram, interfecerint, adeo illum desiderant, ut, præ merore, à cibo abstineant: interitum etiam ad mortem obdurent. Eò, corpore & animo excelsum animal potest ab homine deijci, ut Porus, quem Alexander debellans habuerit elephantum, qui, rectore iubente, procumbere in gentem vt se submitteret: vt Curtius scribit. *Nam quod ad docilitatem atinet*, ait Plinius, regem adorant, genua submitunt, coronas porrigunt. *Indis arant minores, quos appellant nothos*. Minores etiam bellant. Nos, nostra ætate, vidimus, qui omninò humi se prostratum fieret calcari. Ad prælia turritos educi, apud antiquos, vsitatissimum fuit. *Domiti enim militat, & turres armatorum in hostes ferunt, magnaq; ex parte orientis bella consciunt*. Prosterunt acies, proterunt armatos. Sic Antiochus intravit in Aegyptum, in multitudine gravi, in curribus & elephantis. Sic ad succellorem eius venerunt exercitum conductitij. Et erat numerus exercitus eius, centum millia peditum, & viginti millia equitum, & elephanti triginta duo, docti ad prælium. Sic Romani contriuerunt Antiochum magnum regem Asia, qui eis pugnam intulerat, habens centum viginti elephantos. Sic Nicanorem præpositum elephantorum ducem, eadem Scriptura appellat. Antipater auctor est, duos Antiocho regi, in bellicis vsibus celebres etiam cognominatos.

VI.
Plin. lib. 8.
nat. hist. c. 7.
Strabo. li. 15.

Plin. nat. hist.
lib. 8. cap. 1.

Idē. ibid. c. 9.

1. Mach. 1. 18.

1. Mach. 6. 30.

1. Mach. 8. 6.

2. Mach. 14.

12.

Plin. lib. 1. cit.

cap. 5.